



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 113. Trevirensis Archiepiscopi Procurator Tridentum veniens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

petitam eidem veniam nec concedere, nec denegare vellet, eoquod hac super re literas Romam dedisset, summusque Pontifex in responso nuperrime dato hunc æque ac Clodiensem Episcopos, si ita eidem bene visum fuerit, revocandi libertatem sibi reservasset. His compositis Legatus ad modum, quo sententiæ de Decretis recipiendis rogandæ forent, processit, quamvis vero hac in re non eadem omnium esset opinio, cum quidam hæc Decreta libertati in Synodis requisitæ adversari caussarentur, alii vero ceterorum sententiæ cedendum existimarent, nihilominus unanimi ferme suffragio hæc eadem Decreta fuere approbata.

§. CXIII.

*Trevirensis Archiepiscopi Procurator
Tridentum veniens.*

Posthæc de aliis agebatur argumentis, & præprimis inter Patres agitatum, an inter Ordines Monachorum Latina sacrarum literarum prælectio in Cœnobiis esset instituenda, & an hæc reliquis præferenda? quorum utrumque univ-
Pallav. hist. Trid. lib. 7. c. 5. n. 2.
 sum fuit approbatum, addebant tamen nonnulli, id probe fieri posse, dummodo eorum leges haud obstarent. Verum inclinata jam die tres Montis Casinensis Abbates petierunt, ne quid hac
 su-

Sæcul. XVI.
A. C. 1546.

Sæc. XVI. super re decerneretur usque ad proximum confessum, in quo ipsis quoque
 A.C. 1546 suam sententiam proferendi opportunitas daretur. Hæc dum interea gerebantur, Ambrosius Pelargus Dominicanus, Trevirensis Archiepiscopi Procurator, ac insignis doctrinæ Theologus Tridentum venit, eique tanquam Consiliario, non vero velut Judici, concessa est sententiam suam dicendi facultas, locusque eidem assignabatur secundus a Claudio Jajo, qui Augustani Cardinalis vices agebat, proin proximus sedebat post Episcopos, præcedebat tamen Abbates ac supremos Ordinum Præfectos. Ergo tanquam Theologus jamjam in proxima Congregatione suffragium suum ferebat in proximo Patrum confesso, ubi quidam Montis Cassinensis Abbas mire commendabat, cunctis Monachis sacre Scripturæ prælectionem perpetuo injungendam, eo quod huic sacro studio tam assidue, tamque fructuose veteres illi sanctissimi Monachi operam navassent; ut vero etiam Religiosi eidem fideliter incumberent, hæc verba: *omissis Scholasticorum cavillationibus*, Decreto esse addenda agebat, cum alias ejusmodi prælectiones inter Monachos persæpe discordias parerent, ac proin potius longe a Monasteriis forent amovendæ.